DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
MENSIBUS ET AMENORRHŒA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS KEMLO, A. M.

BRITANNUS,

COLLEG. REG. CHIRURG. LONDINENSIS SOCIUS,

NECNON

IN EXERCITU BRITANNICO CHIRURGUS.

Matribus et pueris canto, innuptisque puellis.

Kalendis Augusti horâ locoque solitis.

EDINBURGI;

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

Anno 1819.

VIRO AMPLISSIMO,

ARTHURO DUCI DE WELLINGTON,

&c. &c. &c.

QUI, IN INDIA ORIENTALI, WELLESLEY COPIARUM IMPERATORE,
IN PRÆLIO APUD ASSYE FACTO TANTAM GLORIAM
CONSECUTUS EST,
UT CIVES SUI CONFIDERE POSSENT TALEM FUTURUM
QUALEM HODIE JUDICANT OMNES;
QUI, BELLICIS IN REBUS QUAM MAXIME PERITUS
ATQUE PERICULORUM MULTORUM IMMEMOR,
IN HISPANIA ET LUSITANIA
GALLOS EQUITARE INULTOS NON SINEBAT;
QUIQUE NUPER APUD WATERLOO NAPOLEON IPSUM,
TYRANNUM, BELLI AUTEM PERITISSIMUM, PROSTRAVIT;

NECNON

VIRO NOBILISSIMO,

RICHARDO MARCHIONI DE WELLESLEY,

&c. &c. &c.

QUI, IN INDIA ORIENTALI GUBERNATOR SUPREMUS
ET COPIARUM MILITARIUM IMPERATOR,
TYRANNUM INFIDUM TIPPOO SULTAUN SUBEGIT,
ATQUE IMPERIUM APUD INDOS FIRMAVIT;
QUIQUE, IN SENATU INTER PATRES CELERITATE INGENII
ELOQUENTIA ET VITÆ INTEGRITATE NULLI SECUNDUS,
REMPUBLICAM NON DESERIT,
HANC DISPUTATIONEM,
SUMMA OBSERVANTIA,
DICAT,

GULIELMUS KEMLO.

ORNATISSIMO

ET PRÆCLARO EQUITI,

JACOBO M'GRIGOR,

MEDICINÆ DOCTORI,

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS WALLIÆ MEDICO

EXTRAORDINARIO,

ET RERUM MEDICARUM EXERCITUS BRITANNICI

RECTORI GENERALI;

QUI ARTEM APOLLINEAM AD SUMMAM

PERFECTIONEM EVEHENDO,

ILLUSTRES HEROAS, DE PATRIA OPTIME MERENTES,

SED JAM FAUCIBUS ORCI PER VULNERA

HIANTIA IMPOSITOS,

AD DULCIA REVOCAVIT LUMINA;

NECNON

PRÆSTANTISSIMO,

GEORGIO WIGTON,

MEDICINÆ DOCTORI,

EDINBURGI,

OMNIBUS VIRTUTIBUS,

QUÆ GENERI HUMANO DECUS IMPERTIUNTUR,

PRÆDITO,

HOC TENTAMEN,

SUMMA CUM VENERATIONE,

CONSECRAT,

GULIELMUS KEMLO.

VIRO ILLUSTRISSIMO,

HENRICO CONYNGHAM MONTGOMERY,

BARONETTO,

ANTIQUA NOBILI ET BELLICOSA STIRPE

ORTO,

MORUM NOBILITATE, PATRIÆ AMORE, INDOLE OPTIMA

DOTIBUSQUE ANIMI EXIMIIS

PRÆCLARO;

QUI, IN INDIA ORIENTALI, EQUITUM PRÆFECTI

IMPERATORII,

ET DOMI SENATORIS BRITANNICI

MUNERA PEREXCELSA EXSECUTUS

NUNC TRANQUILLUS SINE ARMIS

DUCIT OTIA RURIS;

NECNON

CLARISSIMO,

HENRICO CONYNGHAM MONTGOMERY,

ARMIGERO,

OMNIBUS QUÆ PATREM EJUS ILLUSTREM

ORNANT VIRTUTIBUS

PRÆDITO,

HANC DISSERTATIONEM,

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA,

DEDICAT,

GULIELMUS KEMLO.

DISSERTATIO

DE

MENSIBUS ET AMENORRHŒA.

AUCTORE GULIELMO KEMLO, A. M.

Inter organa corporis humani, lege manifestâ naturæ fixis temporibus aucta, ultima evolvuntur genitalia. In fæminis autèm mammæ quòque subitò efflorescunt, quìppe eodem fère tempore ad munera propria fungenda, necessariæ.

Circa pubertatem, utriusque sexûs corpore magnas mutationes subeunte, differentia, tenerâ ætate, inter sexus obscura, manifestè se prodit. Tùm mari venit pubes, tùm barba, tùm semen fæcundum, tùm vox gravis, tùm

firmius evadit corpus et sæpiùs subitò crescit.

Ad id ætatis flore novo pubescit virgo, et ovariis et utero evolutis tepefactisque, profunduntur menses. Tùm mammæ, hæc fæminei thoracis ornamenta, prominent teretes, oculi nitent, tùm verecundior pulchriorque evadit puella, patetque incessu, et voce, et gestu, dea.

Sanguis, qui corpori incrementum præbet, tùnc quantitate majore ad mammas uterumque defertur, quo crescunt hæc organa et evolvuntur, pulchrâ prole maritum factura.

Et simùl ac vasorum partiumque aliarum robur, cordis viribus resistit, corpus in longitudinem crescere cessat. Confirmato quòque arterias inter et venas æquilibrio, corpus latius non fit. Postea tamèn, sanguine eâdem copiâ refecto, non solùm sine ullo damno, verùm etiàm insigni cum fructu, menses edere, fœtumve alere possunt mulieres.

Pari ratione fructuque pari maribus secernitur semen; pari quòque causâ, consorte thalami sumptâ, multis affectionibus morbosis haùd rarò liberantur viri. Hìnc etiàm pueris venerem nimiùm colentibus, qui corporis vigore, faciēi pulchritudine, vocisque dulcedine, fæminas amabiles æmulari videantur, seriùs aut nunquàm contingant vox raucior fortiorque, aliæque corporis mutationes.

Sin autèm hæc organa non tempestivè fuerint evoluta, corporis irritabilitate mobilitateque màgis màgisque auctis, functionibusque et corporis et animi gradatìm læsis, virgines pulchritudine et sanitate spoliatæ languent, torpescunt, moriuntur.

A seculis antiquissimis ad præsens usquè tempus, ex mensibus retentis, aut suppressis, aut vitiatis, multa profluere mala censuēre medici. Hippocrates enìm, Medicinæ ille Parens, de Superfœtatione disserens, sequen-

tia habet.—"Παρθένῳ ὁπόταν τὰ ὡραῖα μὴ γένηται, πολλὰ και πυρεταίνει, καὶ ὀδυνᾶται, καὶ διψῇ, καὶ πεινῇ, καὶ ἐξεμεῖ, καὶ μαίνεται, καὶ πάλιν σωφρονέει."

Et elegans Celsus de re Medicâ, Lib. II. cap. 7.—"Quibus fæminis menstrua non proveniunt, necesse est, capitis acerbissimi dolores sint, vel quælibet alia pars morbo infestetur."

Eruditus dènique Professor Gregory, cap. 21, de Medicinâ Theoreticâ tractans, sic loquitur.—"Si menses justo tempore non prorumpunt, valetudo multùm afficitur, vigor omnis perit, singulæque fère corporis functiones plùs minùsve impediuntur; appetentia cibi deficit aut vitiatur; concoctio ejus corrumpitur; totum corpus solvitur, flaccescit, pallet, marcescit, et sic plurimis morbis via sternitur."

Ætas, quâ fluere incipiunt et finiuntur menses, varia est. In plagis calidissimis no-

vem vel decem annos natæ, in regionibus ad septentrionem maximè vergentibus, ubi frigus dominatur intensum, non ante viginti fère menstruant virgines.

In Britannia, ac in regionibus temperatioribus, 13 vel 16 annos natæ hanc evacuationem sæpiùs patiuntur; annisque 40 aut 50 ætatis elapsis, non ampliùs plerisque in exemplis afficiuntur mensibus. Quò tamèn matùrius erumpunt, eò citiùs cessabunt; atque in gravidis, lactantibus et effætis fère desinunt; at si prodeunt prægnantibus, ore uteri occluso, necesse est, ab vasis extra os uteri solis profundantur.

Ex habitu corporis, vitæ genere, et victu quo utuntur, et ex cæli temperie, utrùm 4, aut 6, aut 8, aut 16 secernantur unciæ, multùm pendebit.

Menstrua, intervallo mensis lunaris vel paùlo longiori vel breviori, in omni muliere,

si sana sit et non gravida, si dènique non lactet, redire debent.

Hanc evacuationem esse erupturam edocent multa; febricitat nauseatque mulier, universo corpore per consensum affecto; cibi appetentia deficit; ægrotans languet palletque; ingratus ore exit halitus; mammæ augentur dolentque; oculi hebescunt, infra quos venæ turgidæ fiunt; á capite, lumbis, et regione uterinâ, in quibus ponderis perceptio sentitur, dolet idèntidem ægra.

Sequente autèm talia signa fluxu, humor primùm genere seroso, dèin colore sanguineo, et rursùs seroso, ab utero secernitur; et post tres vel quatuor dies aut paulò plures, pristinâ valetudine vel etiàm solitâ commodiore sæpiùs fruuntur menstruantes.

Nullâ tamèn ab utero factâ secretione, in pejus ruunt omnia; et cunctæ functiones *naturales* brevi perturbari videntur; cæteris-

que functionibus, et *animalibus*, et *vitalibus*, atque etiàm illi *divinæ particulæ auræ*, hujusce mali non datur esse immunibus.

Interrogari igìtur oportet fæminas de mensibus, an debito tempore prodeant, an æquales in singulis vicibus, an sine dolore secernantur; magni enìm momenti est illos sic fieri, et creditur quidèm, rebus ita se habentibus, corpus aliis functionibus cunctis fungi valere.

De causis mensium inter medicos fuit multùm disputatum. Credentes tàmen non ullo vitæ tempore, aut fæminis, aut viris, aliisve animantibus, sanitate integrâ, *plethoram* vel *generalem* vel *partialem*, aut ullam in sanguine *fermentationem* adesse, ex sequentibus catamenia esse veram *secretionem*, causas sùpra dictas minimè agnoscentes, colligere sumus conati.

I. Structura uteri, et multis et magnis sinnuosisque vasis repleti, organum secernens indicare mihi videtur. Sin autèm cunctæ aliæ corporis partes similìter confectæ, fluida sibi propria, secretione peractâ, profundant, cur tandèm utero soli tales denegantur dotes? Cur ejus vasis tàm insignìter tortuosis nulla secernendi datur vis, dum aliis multò minùs convolutis tanta conceditur?

II. Discrimina inter sanguinem et menses huic certè favent hypothesi. Mihi saltèm apparet hocce argumentum satis firmum et validum. Nisi fòrsan eximius ille color, qui sanis mensibus sæpiùs contingit, soli sit sanguini proprius! Eos autèm á sanguine ex toto differre, multis periculis factis, probavit insignis Hunterus. Etsi prudènter fides tarda veniet dictis, sit saltèm experimentis, voto periclitantis non ambigùe responsuris. Menses ex ore uteri stillantes mihi contigit vi-

dere; et post quædam tentamina, de verâ eorum naturâ, in dubio non versabar.

Memini quòque in nuptâ vidisse, stimulo solito admoto, menses tempus ante debitum sæpiùs profundi idèntidemque menorrhagiâ stipari, atque mutatum odorem, fluxûsque coagulationem ægrotante ab ipsâ notari.

III. Mutationes, quas subeunt menstrua, hanc firmare sententiam credo. Fluxus enìm, quem patiuntur virgines, nuptæ, steriles, vetulæque, facies induit varias. Et censeo non solùm menses verùm etiàm fluxum illum morbidum, qui dicitur Leucorrhæa, et Lochia, ab iisdem vasis secerni; vaginâ quòque aliquid profundente. Quìppe menstruis pergentibus, evanescit Leucorrhæa, recuperatâ vasorum actione, non sèmper reditura. Tales tamèn mutationes minimè efficiendæ sunt ab ullis aliis quam secernentibus vasis.

IV. Stimuli, functionem secretoriam augentes, in uterum quòque agunt. Calore enìm augentur menses; et fluentes frigore imminuuntur, supprimuntur; potènter victûs genere afficiuntur, corporisque et mentis conditione.

V. Animalibus quibusdam pronis secernitur é genitalibus, certis saltèm temporibus, humor ad concipiendum æquè ac menses necessarius. Talis genitalium conditio in simiâ et cane sæpè redit, in brutis aliis autèm fère omnibus, causâ manifestâ, minùs frequènter sese ostendit. Deficiente tamèn istâ conditione, qualis qualis illa sit, ex armento venient nulla pignora ventris.

VI. Menses secerni, meâ sententiâ, probant alia multa; mutationes nèmpe, quas diversis temporibus subit uterus, vitiaque quibus hoc

organum est obnoxium. Pubescentibus enìm subitò augetur, humorem serosum identidèm profundens, qui gradatìm colorem, ad concipiendum fortàsse sempèr necessarium, induit.

In gravidis, mutatâ illâ functione secretoriâ, major evadit uterus, et vix secernit. Nam in nonnullis exemplis aliquid é vasis ori uteri propriis prodire compertum habeo. At novem mensibus elapsis, brevi ad statum pristinum fère redit uterus. Senescentibus demùm arescit, illæsâ sanitate, vix ampliùs secernens. Tales autèm mutationes subeunt quòque mammæ, nunc bonum lac secernentes, nunc vitiatum, nunc nihil profundentes. Mensès igìtur ésse veram secretionem, non ut præcaveatur á plethorâ prodeuntes, sed uterum ad conceptionem aptum solùm tenentes, concludere velim; et, cunctis animalibus æquæ legi subjectis, opinor fæminam singulis mensibus,

ut bonâ fruatur valetudine, hæmorrhagiâ non esse plectendam.

An menses ad sanitatem tuendam æquè necessarii, ac ad concipiendum, aut uterum sanum tenendum? Res est notissima, ante fluxûs accessionem, virgines benevalere, atque mulieres post ejus cessationem haud plecti necessàrio malis. Credo etiàm, ætate ad hanc evacuationem aptâ, fluxûs defectum sine causâ naturali haud sæpe induxisse morbos; causasque secretionem uterinam supprimentes, eodem tempore, universum corpus afficere potuisse. Hinc menses suppressi dicuntur plurimis morbis viam sternere. Horum autèm defectus solùm demonstrat sanguinis distributionem abnormem esse, uterumque malè affici, et alias partes, donèc causa fuerit sublata, magis obnoxias esse morbis. Hinc persuasum est nobis, ut uterus conceptioni aptetur, menses solùm profundi.

MORBI DEFINITIO.

MENSES circa pubertatem non prodeuntes; vel jam stabiliti citra graviditatem, lactationemque, non profluentes. Ubi ætate solitâ fluxus non prorumpit, mensium *emansio* dicitur. In adultis uterum non gerentibus, ubi fluxus, qui justis intervallis fluere solebat, non progreditur, vel progrediens subitò supprimitur mensium *suppressio* vocatur.

Hæc autèm signa, morbidis affectionibus non sequentibus, pro morbo vix habenda sunt. Et ingravescentibus signis, quæ fluxum erupturum testari solent, atque colore virescente rēique non esculentæ desiderio stipatis, morbus á quibusdam, clari quidèm nominis, *Chlorosis* non *Amenorrhæa* appellatur. Sed gradu tantùm differre credo, et verè rem magni momenti non esse, utrùm hoc an illo nomine hujusce morbi symptomata insigniamus.

MORBI HISTORIA.

In quibusdam exemplis ante morbi accessum de Dysmenorrhœâ conqueruntur mulieres, et secretio parcior parciorque singulis vicibus evadens tàndem penìtus cessat, febriculâ concitatâ.

Aliis fæminis, si fluxus instans non prodierit subitòve substiterit, febris quòque magìs minùsve gravis sæpiùs excitatur. Et sanguine ad quoddam organum nimiâ quantitate allato, *Epistaxis*, *Hæmoptysis*, *Ophthalmia*, *Phrenitis*, *Pneumonia* ejusve sequelæ, *Hepatitis*, *Hysteria*, *Epilepsia*, in junioribus *Chorea*, aut alia hujusmodi supervenire possint.

Si virginibus tempestivè non evenerit secretio uterina, signa morbosa oriuntur multa, in morbos acutos non sempèr itura. Languore autèm et debilitate serpentibus, omnes

fère functiones *naturales, vitales, animales,* atque etiàm pars corpore melior, infringi videntur.

Mensium defectu laborantibus adsunt idèntidem capitis dolor, vertigo, anorexia, nausea et vomitus; pulsus validus, provecto morbo debilis et frequens, spiritus gravis et anxietas; æstûs algorisve sensus cum alvo astrictâ; palpitatio aut syncope cum ponderis perceptione in regione uterinâ; et dolores per lumbos et femora vagantes.

Quibusdam perit omnìno eximius ille puellæ color; et genæ roseæ cum labiis rubeis fusco colore tinguntur; oculi hebescunt et excavantur, dum mammæ amabiles flaccidæ fiunt; torpor augetur et virgo virescens nunc dicitur chlorotica, et acidis eructationibus aut appetitu erroneo màgis laborat. Nunc mæsta et cogitabunda, sodales hilares aversans fugiensque, sola sortem plorat crudelem, et noctes vigil ducit pandiculans et oscitans.

Sin autèm ultèrius processerit morbus, asthenia regnat et macies horrida corpus deformat, pallorque in ore resedit, et irritabilitate corporis mobilitateque magnòpere auctis, menteque devictâ, levissimis rebus agitatur, cor palpitans haud rarò etiàm syncope prosternens. Urina circa initium copiosa, nunc parca et turbida evadit; et manè palpebræ, tumescunt vespere pedes. Et procedente malo, non vota, non ars ulla correptam levat, sed Hydropi aut febri hecticæ immatura succumbit, et in æternam clauso lumine noctem, anima nunquàm peritura sedes ætherias petit innocua.

DE CAUSIS.

Inter causas mensium suppressionem inducentes enumeranda sunt omnia mentis pathemata, sicuti luctus, metus, ira suppressa,

et amor infelix, quæ genus nervosum gravìter afficiunt, et sanguinis cursu abnormi reddito, secretiones et excretiones imminuunt, supprimunt, producunt. Mens enìm præ omnibus rebus in uterum agere valet, vel sanguinis copiam augendo vel minuendo.

Quæcunque corporis vires exhauriant aut functiones naturales lædant, velùti nimia sanguinis detractio, victus parùm nutriens, durus labor, aër insalubris, noctes vigilatæ, partus difficilis, injuriæ et morbi innumeri, menses cohibere possunt.

Ex omnibus autèm causis nullæ màgis frequentes, nullæ potentiores, quàm exercitii defectus, obstipatio diutina, vita sedentaria ærumnosa aut tristis, et somnus immodicus. Infringunt enìm functiones cunctas præcipuè naturales, et cibi appetentiam minuendo corpus nutrimento privant. Menses ob morbos, quibus uterus est obnoxius, haud raròquòque tolluntur. Virginibus dènique cohi-

beantur ex hymine occluso, aut propter organica vel uteri vel ovariorum vitia nunquàm secernantur.

PROGNOSIS.

Si morbus haud diù fuerit moratus, si constitutione integrâ adhùc fruatur ægra, si signa neque multà nec severa sint, si dènique remediis cedat, exitum faustum prædicere liceat.

Sin autèm diutiùs inveteraverit malum, et viribus fractis stipatum aliisve malis implicitum remediis obstiterit, prognosis infaustior est. Procedente enìm morbo, non solùm secretoria uteri functio absolutè torpescit, verùm etiàm affectiones viscerum aliorum graves vel prorsùs immedicabiles superveniant.

DIAGNOSIS.

In hoc morbo diagnosin stabilire parùm difficile est, nisi fortàsse conceptio cum morbido menstruorum defectu confundatur; accessiones tamèn vomitionis in graviditate màgis regulares et etiàm severiores quàm in amenorrhœâ reperiuntur.

Alias discriminis notas subministrant uterum gerentes, vultu aspectum huic statui proprium et vetulis optimè notum sed verbis haud facilè describendum induente. Gravidis enìm pulchrior evadit facies, ampliores apparent oculi, et latius videtur os decorum, mammæ lætè augescunt, et venter non ob aquâ intumet, sed onere dulci impletur mox suo motu dubium relicturo nullum. Hæc autèm signa in amenorrhœâ desunt, dum alia omnìno diversa sese ostendunt.

Quæ in ultimo Phthiseos stadio accedit suppressio cum mensibus suppressis vix est confundenda. Phthisi enìm conflictantibus est nitor vultûs, oculi vividi, color eximius, mortis raro ulla formido, animi functiones integræ, sputa purulenta et pulsus frequens atque alia febris hecticæ signa, quæ mensium defectum esse symptomaticum, atque graviora medici attentionem exigere, lucidè demonstrant.

In amenorrhœâ autèm sunt oculi hebetes, cutis decoloratio, alvus astricta, atque corporis et animi torpor insignis. Hymen occlusus aliquando scrupulum injiciens, veniâ tactui datâ, est facìle detegendus. In promptu est remedium, copiis hostium scalpello fugatis.

DE RATIONE MEDENDI.

De quâ nunc agitur, res certè perutilis dicatur, eadem tamen est difficillima. Indicatio enìm curatoria non solùm ex causis, verùm etiàm ex origine singulisque morbi indiciis, eorumque varietate et conjunctione, atque ægrotantis statu, ætate et viribus, exque propriâ corpori constitutione, ducenda est. Medelam aggredienti duo consilia in conspectum veniunt.

I. Causas remotas quàm maxìme amovere, et signa quæ morbum augeant levare.

II. Totum systema debilibus firmare; et læsis functionibus, potissimùm ventriculo et utero debitum restituere vigorem.

Ad primum consilium efficiendum, ægro-

tantes, ut causas morbum excitantes assiduè evitent admonendæ sunt, et alvus astricta solvenda, plethora si adsit sanguinis detractione tollenda, et cutis halitus aliæque excretiones suppressæ sunt rectè revocanda.

Ex signis manifestum est, sordes in ventriculo esse collectas; purgantia igitùr ægrotæ viribus accommodata, ad fæces eliminendas et alias excretiones promovendas cum fructu adhibeantur. Emetica secretiones et excretiones augendo et abnormes sanguinis distributiones tollendo, in quibusdam exemplis malo occurrere pollent. Præstat autèm sæpiùs alvum ducere per enemata, quàm per medicamenta ore devoranda purgare. Redeuntibus autèm fæcum colore et odore, sint et leniora et rariora, talia tamen ut alvus sit sèmper facilis.

Consilio alteri conveniunt tonica, exercitatio nèmpe, aër salubris, diæta lauta et digestu facilis, vina, ferrum, cortex cinchona officina-

lis, amara, aromatica, balnea frigida, et quæ dicuntur emmenagoga.

Exercitatio, quâ nihil efficacius cùm ad sanitatem tuendam tùm ad vires fractas reficiendas, hoc morbo implicitis multùm prodesse solet. Partes enìm solidas firmat et densat, sanquinis cursum languidum excitat, secretiones et excretiones expedit, bonum appetitum conciliat, et corpori vigorem et animo hilaritatem impertit. Aër quòque purus, præsertìm siccus et frigidulus, roborat atque exhilirat. Diæta lauta cum idoneâ vini quantitate ad vires revocandas plurimùm confert.

Multo auxilio afferunt ægris, é metallis præparata. Quæ autèm fontem chalybeatum petiverint, plus exercitii propter plusque hilaritatis, et meâ sententiâ ex minore ferri quantitate diù adhibitâ, citiùs certiùsque sanabuntur. Noster Professor ingeniosus Doctor Jacobus Home, in suis prælectionibus præclaris idem notavit.

Cinchona virtutes astringintis et amari unitas possidens, et amara cum aromaticis, vi tonicâ gaudent, in ventriculum autèm et intestina maximè agunt. Balneum frigidum, mobilitatem debilitatem et obstipationem minuens, retentioni màgis accommodatum, quàm mensium suppressioni reperitur.

Inter emmenagoga maximè prosunt purgantia acriora, qualia in ventriculo non ex toto soluta in rectum quòque agunt, ideòque sanguinem copiâ majore uterum versus alliciunt.

Eximius Franciscus Home olìm hujusce Academiæ Professor celeberrimus, Rubeam Tinctorum mensibus deficientibus cum eventu admodùm felici adhibebat; sed modus quo agit hoc remedium forsàn ignotus est.

In mensium defectu opium plurimùm valet, cutis calore aucto, et doloribus levatis, nauseam et vomitum minuit et ad menses revocandas haud ambiguè respondere vide-

tur. Præter opiata usurpantur alia antispasmodica, ut æther sulphuricus, ammonia, castorium, assafœtida, moschus, camphora, atque valeriana.

Inter topica enumerare liceat ictus electricos, sinapisma lumbis et sacro applicata, frictiones et pediluvium, quorum agendi minimè obscura est ratio.

Restat tamèn innuptis remedium in hoc morbo efficacissimum, de quo inter omnes fère medicos certè convenit, atque de cujus virtutibus divinus Hippocrates scripta multa reliquit, modicus scilicet castusque veneris usus. In conjugio enìm, ubi cura mutua et amor socialis duos habent, plurima existunt levamina medicamentis sæpè utiliora.

Ad hanc sententiam loquitur illustris Gregory, cap. 39, de Medicinâ Theoreticâ disserens —" Quantùm hoc in mensibus evocandis valeat remedium, plurimæ puellæ, donèc virgines erant, pallidæ, macræ, malè sanæ,

felice conjugio, nitidæ, vegetæ, roseæ, brèvi factæ, non ambiguè testantur."

Sunt præscribenda in Dysmenorrhœâ eadem fère remedia ac in Amenorrhœâ, augeatur tamèn, fluxu instante, opii dosis. His peractis, tua munera, O Pater, inoblitâ mente repetere juro. Et gratias Professoribus debitas artis medicæ semitam tantâ urbanitate et eloquentiâ complanantibus persolvo.

Edidi quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coëgerunt.

CICERO.

FINIS.

EDINBURGI;
EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.
Anno 1819.